



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

V. Tertium argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

suspecto adjunctam reperisset, utrumque e Canone una litura sustulit. Sed hæc accurate jam disputata sunt ab iis, qui adversus recentiores Ecclesiæ perduelles sunt velitati.

IV. Quid quod e Græcis quibusdam Voluminum sacrorum exemplaribus excidisse hæc Epistola deprehenditur? Nempe id effecit, tum ea quam diximus Libelli brevitatis, tum & situs diversitas: cum aliquando Threnis, nonnunquam Baruchi Prophetiæ subjungeretur. Fieri enim facile potuit, ut cum Threnos descripsisset librarius ex uno Codice, in quo Epistola Jeremiæ subnexa erat Prophetiæ Baruchi, à Threnis una serie ad Baruchum describendum progressus sit: deinde vero cum Baruchum describeret ex altero Codice, in quo Threnos excipiebat Jeremiæ Epistola, ab incauto & parum attento librario prætermittà sit.

V. Quod si quis Theodoretum nobis objiciat, qui cum Baruchi librum explanaverit, Jeremiæ tamen Epistolam non attigit, respondebimus nihil ad Librum illum Epistolam pertinere, penitusque ab eo, ut dixi, fuisse discretam. Quoniam autem Threnos exponens, postremum caput, quo Jeremiæ habetur Oratio, omisit, ideo Epistolam Jeremiæ, quæ pone sequebatur, simul quoque omittam opinor. Cum cæteroquin ex sacrorum Librorum fide nihil detrahat, ut dictum est superius, Interpretum negligentia vel studium, huc, illucve pro arbitrio industriam suam conferentium.

DE PROPHETIA EZECHIELIS.

I. *Disputatur de Ezechiele.* II. *Disputatur utrum Ezechiël idem sit ac Zaratus Assyrius, Pythagoræ præceptor.* III. *Ezechieli adscribitur Prophetia, quæ nomen ipsius præfixum gerit; ejusque probatur ætas, & antiquitas.* IV. *Disputatur de duobus Prædictionum voluminibus, quæ ab Ezechiele scripta fuisse tradit Josephus; & de Psalmo sexagesimo quarto, nomine Ezechielis, aliorumque inscripto.* V. *Refelluntur argumenta Adversariorum.* VI. *Primum argumentum.* VII. *Secundum argumentum.* VIII. *Tertium argumentum.*

I. **P**ERGAMUS ad Ezechielem Prophetam, Leviticæ tribus, Buzi Sacerdotis filium, & filius Pontificum oriundum, in terra Sarera natum, Jeremiæ coævum, cum Jechonia rege in Chaldaeam deportatum, ibique futura prædicere exorsum ad oram annis Chobar, quinto anno quam illuc traductus est; & per viginti annorum decursum vaticinatum; atque ibi demum interfectum à gentis suæ Principe, cum eum, populumque adeo ad idola colenda proniorem ad virtutem excitaret; & in eadem spelunca sepultum, in qua Sem & Arphaxad, Abrahami progenitores, ad ripam Euphratis. Hæc scribimus ex fide Scriptoris, qui vitas Prophetarum retulit in literas sub nomine Epiphani, qui ad ætatem suam superfuisset docet Ezechielis sepulcrum, miraculis clarum, & magno Judæorum concursu frequentatum. Tum vero nihil aliud fuisse narrat sepulcrum hoc, quam duplicem speluncam: at Benjamin Tudelenis supra sepulcrum magnificentissimi operis testudinem à Jechonia, & triginta quoque Judæorum millibus exstructam fuisse narrat, Jechoniæ, ipsiusque comitum, & Ezechielis imaginibus decoratam; illic institutam fuisse Synagogam, & locupletissimam Bibliothecam, in qua volumen ingens visebatur Ezechielis manu scriptum, & Expiationis die prælegi solitum; ad quam diem, à primo usque Tifri die, quod anni initium est, magno peregrinorum illuc pietatis causa confluentium concursu solennia festa agitari, & frequentissimis nundinis celebrari; nec Judæis solum, sed Muhammedanis quoque sacrum esse locum ac venerabilem. Fides esto penes verpum hunc, qui in longinquis regionibus describendis veris falsa immiscere sæpe deprehenditur. Certum est quindecim circiter Francis leucis à Bagdado locum nunc quoque magnis Judæorum conventibus celebrari, in quo sepultum Ezechielem arbitrantur. Contra vero Scriptor Itinerarii Hierosolymitani, qui vixit Constantini temporibus, suo ævo prope Bethlehæm extitisse tradit Ezechielis sepulcrum, atque idem fuisse quod Jobi, Jesse, Davidis, & Salomonis. Quod valde ineptum est. Facessat etiam Abrabaniel, qui Ezechielem & in terra Chanaan, & extra eam vaticinatum esse docet; cum quinto demum post deportationem suam anno futura prædicere aggressus sit.